



## **Scientia Sanctorum**

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

**Puente, Luis de la**

**Dilingæ, 1685**

28. De conservatione rerum & dependentia à Deo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

MEDITATIO XXVIII.

De conservatione rerum, & dependentia à Deo.

PUNCTUM PRIMUM.

**O**Mnia pendent à Deo in conservatione sui Omnia  
esse, quæ est quasi continuata quædam pendent  
creatio: sicut lumen in aëre, sole subtrahente à Deo.  
concursum, statim perit: ita &c. Hoc est, quod  
Paulus ait: *Portans omnia verbo virtutis sue.* Heb. 1. 3.  
Et Isaias: *Conservata sunt, & nunc creata sunt,* Is. 48. 6.  
& non ex tunc.

Hinc fiduciam concipiam ex Deo, ut ille:  
*Nos in omnipotente Deo confidemus, qui potest* 2. Mac.  
*& venientes adversus nos, & universum mun-* 8. 18.  
*dum uno nutu delere.*

Item *timorem* à tam potenti, cùm justus sit. 1er. 10.  
*Corripe me, Domine, veruntamen in iudicio, &* 24.  
*non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.*  
Quomodo timerem offendere eum, qui me tri-  
bus digitis appensum teneret in sublimi.

Item affectum concipiam *humilitatis*: cùm  
ex me non subsistam, nisi qua sustentor, & si-  
mul *charitatis* erga sustententem me.

PUNCTUM II.

**A**D conservationem etiam hominis concur- Benefi-  
runt omnia à Deo creata, cœli, astra, mo- cia ex  
tores, elementa & tot alia: unde cibus, & quæ- conser-  
cunque faciunt ad conservationem hominis, vatione

Bb § quod

quod in particulari applicabo ad quasvis res ; quibus utor pro sustentatione , & commodo, quæ licet exiguæ , non extant tamen absque multis causis, tum particularibus, tum universalibus, à cælo, &c.

Item quòd Deus nunquã aliquid in nihilum redigit, sed ex uno aliud existere facit ; nec peccatores & dæmones ipsos : quamvis aliquando dixerit : *Pœnitet me fecisse hominem.*

Item quòd multa nos latent beneficia Dei, pro conservatione nostra, avertendo pericula mille : nec est malum, quod aliquis patitur quin ego similiter possem : latere autem ea vult, ut doceamur benefacere, non quæsitâ laude.

### PUNCTUM III.

**A**ctiones rerum à Deo dependent. **Q**uòd res omnes pendent à Deo, non in esse tantum conservando, sed ut operari possint : Ubi admiranda omnipotentia, quæ assistit omnibus in operando ac si uni tantum. Applicabo mihi, discurrendo per singulas operationes meas. *Omnia opera nostra operatus est Dominus in nobis.* Et, *Pater meus usque modo operatur.* Et hæc assistentia est infallibilis, nisi quando se subtrahat ad gloriam suam manifestandam : ut cum *Ignis non combussit tres pueros in fornace* : & concurrit ad ipsasmet actiones, quibus inest culpa, ne derogat humanæ libertati. O, ego non abutar tuo concursu ad malum!

*If. 26. 12*  
*Ioan.*  
*5. 17.*

*Dan. 3.*  
*5e.*

lum! ac siquidem *in te movemur & sumus*: Act. 17.  
quod, ago, & sum, tibi ferviat. 28.

Hinc humiliabor, quòd nihil plane agere ex 2. Cor.  
me possum. *Non sumus sufficientes cogitare ali-* 3. 5.  
*quid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia no-* 10an.  
*stra ex Deo est, Et: sine me nihil potestis facere.* 15. 5.  
Ur homo non gloriatur: *Nunquid potest gloria-* 1. Pet.  
*ri securis contra eum qui secat in ea? Ergo hu-* 5. 6.  
*miliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet*  
*in tempore visitationis.*

MEDITATIO XXIX.

*Quid sit providentia, & qua bona  
ex ea proveniant.*

PUNCTUM PRIMUM.

**P**rovidentia est dispositio mediorum per  
quæ fines suos consequantur res creatæ, ac  
præsertim homo. Ubi 1. considerandum, in  
Deo ex parte intellectus inesse illi perfectam  
notitiam finium, & mediorum, nec non & im-  
pedimentorum, quæ objici possunt, & qua ra-  
tione eis occurrendum. Unde ex ignoratio-  
ne non potest falli divina providentia, sicuti po-  
test humana. *Cogitationes mortalium timide,*  
*& incertæ providentia.* 2. Ex parte voluntatis, *Sap. 9.*  
quæ est summè bona, voluit rebus præfigere *14.*  
excellentissimum finem, qualis est manifestatio *2.*  
suæ gloriæ; sed præterea singulis rebus propri-  
um & accommodatum, cum opportunis me-  
diis:

Quid  
provi-  
dentia?  
1.

Sap. 9.  
14.  
2.